



Rhodolphus Brun multis uirtutibus ornatus in patria sua Tiguri in magna autoritate extitit. Haecenus autem duodecim tantum uiri rempublicam Tiguri administrarant. Cum autem illi sua potestate abuterentur, atque à ciuibus adigerentur, ut rerum actarum rationes redderent, illi sibi malè cōscij urbe excesserunt. Itaque Tigurini ciues tredecim tribus instituerunt, atque ex ijs quinquaginta senatores, & tribunos elegerunt. Tum autem Rhodolphus Brun primus consul communi consilio ordinatus, ut sua authoritate Senatui praesfet. qui etiam nihil intētatum reliquit, quo rempublicam eam optimis legibus institueret, atque contra exules defenderet. Illi enim qui rerum administratione fuerant semoti, anno reparatae salutis humanae millesimo trecentesimo tricesimo quinto cum finitimis nobilibus & comite Iohanne Habspurgensi foedus inierant, atque ex Rapperswil ense Tigurinos molestabant. Itaque Tigurini hosti obuiam profecti, eos praelio superarunt, ubi etiam Iohannes comes Habspurgensis occubuit. Postea tamen bellum illud à Ludouico Caesare & Alberto Austriae duce compositum fuit.